



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Jesu Sac. Theol. Professoris.  
Theologia Universa**

**Archdekin, Richard**

**Dilingae, 1687**

II. Incarnationis substantia, unio, meritum, motivum, &c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38477**

*Fides* non erat in Christo, ut illa dicit assensum obsecurum rebus à Deo revelatis præstitum; fuit tamen fides in Christo alio sensu multiplici.

*Gratia excitans & adjuvans* de facto in Christo non fuit: cum illa non egerit: etsi ad actus supernaturales indigerit concussu generali ejusdem ordinis supernaturalis.

*Scientiam beatificam* in hac vita habuit, quamvis non habuerit gloriam corporis nisi post resurrectionem. Per illam scientiam non videbat in Deo omnia possibilis: quamvis per illam videret quidquid novit Deus scientiâ visionis, non tamen eadem claritate. Habuit etiam scientiam per se infusam supernaturalem à beatifica distinctam. Cognitocebat quoque cogitationes cordium, & futura contingentia ab hominum libertate dependentia, uti sæpius in Scripturis indicatur.

*Voluntas* in Christo duplex admittenda est, divina scilicet & humana. Nec non liberum arbitrium tam quoad potentiam, quam quoad actum. *Præceptum* etiam moriendi liberè acceptavit: quamvis non posset illud absolutè omittre, supposito quod præceptum fuerit absolutum: quod cum illius libera implementatione fuisset conciliant Theologi.

*Meritum* in Christo propriè fuit per varios actus, uti per actum amoris Dei qui sequebatur scientiam illius infusam.

*Meritis sibi* gloriam corporis, nominis sui exaltationem, impassibilitatem animæ, resurrectionem, ascensionem, adventum ultimum, & quidquid in laudem illius factum est aut fit à creatura rationali. Non tamen meruit gloriam animæ, aut gratiam sanctificantem: quia necessariò illi competeabant ratione unionis hypostaticæ.

*Fomes peccati* à Christo aberat tam in actu primo quam secundo. Uti & *ignorantia* positiva, aut *error* in intellectu: quia non consistebant cum statu corporis & animæ divinitati unitæ. Nec refert quod in Scriptura aliquando dicatur quædam admirari: hoc enim non importat quod simpliciter ea ignoraret, sed quod essent ipsius experientiæ insolita.

Christus fuit verè *Rex*, sic ut habuerit regiam potestatem, & Dominium radicale in omnes res mundi in actu primo, quamvis in actu secundo illam non exercuerit, nisi in paucis. Hanc enim potestatem ratio filiationis Dei per unionem ad Verbum verè importat.

Non rectè dicitur Verbum divinum *prædestinatum* ut esset homo, sed bene esse prædestinatum sive decretum ut fieret homo: nempe per unionem ad naturam humanam.

*Adorari* potest *Humanitas* Christi eadem adoratione latriæ quoad substantiam quâ adoratur ipsum Verbum divinum. Sed cum hoc discrimine, quod Verbum ratione sui adoratur, *Humanitas* autem ratione Verbi sibi per unionem communicati.

*Quo modo Imago Christi possit adorari, & imagines Sanctorum possint coli, traditur supra in Tomo I. Tract. II. Cap. 12. pag. 79.*

## §. II.

*Incarnationis substantia, unio, meritum, motivum, &c.*

**P**rimò dicendum, per Unionem hypostaticam duas esse in Christo naturas in Persona Verbi subsisten-

tes, naturam scilicet divinam & humanam, sine ulla Naturarum, Voluntatum, aut Operationum confusione: remanentibus etiam post unionem Proprietatibus utriusque naturæ. Quod constat ex Concilio Calcedonenſi sub Leone Magno anno 451. ubi definitur *Filium Dei unigenitum in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum esse, numquam sublati à differentiâ naturarum propter unionem, juxta illud Joannis primo: Et verbum caro factum est.*

Secundò, Unionem Verbi incarnati factam esse in Persona, sic nempe ut compositum resultans ex utraque natura sit una Persona, adeoque in Christo unicum esse Suppositum. Ut definitum est in Concilio Ephesino sub Cælestino Pontifice.

Tertiò; ex eodem dicendum, *Humanitatem* Christi fuisse propriè, physicè, & personaliter unitam Verbo, & non tantum habuisse cum eodem conjunctionem extrinsecam, moralem, aut accidentalem per amorem, & concordiam voluntatum, & operationem rerum mirabilem, ut volebant Nestoriani.

Quartò, quoad Sanctitatem & impeccabilitatem naturæ humanæ in Christo: Certum est inter Theologos; primò Christum de facto numquam peccatum qualecunque admisisse: & hoc de fide est et illo Petri 2. *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolens in ore ejus.* Secundò certum est etiam Christum non potuisse peccare in sensu composito, id est, remanente unione. Tum quia fuit beatus à primo conceptionis suæ instanti, cum beatitudine autem non consistit peccatum. Tum quia ex vi unionis hypostaticæ communicatur humanitati Christi sanctitas Verbi infinita, exclusiva omnis peccati.

Porrò, *Quæstio Theologica* est, An potentiam absolutè in sensu diviso unionis humanitas peccare: quod fieri non potuisse docet communis consensus Patrum & Theologorum apud Suarez hic *Disputat. 32. Sect. 2.* & Valquez *Disputat. 61. Capite 3.*

Quintò, Dicendum cum D. Thoma, & meliori parte Theologorum, Unionem hypostaticam esse aliquid realiter distinctum à natura divina, & humana. Ita docet etiam Scotus, Suarez, alique communiter, Contra Nominales, & aliquos Recentiores, Quamvis ipse Occamus Princeps Nominalium ab illis in hoc dissentiat in Tertium, *Dist. 1. quæst. 1. Dico, inquit, quod unio addat aliquid ultra extremam unitam quæ hic non potest evadere per negationes, & connotationes.* Rationem assignat D. Thomas, *Quia potest esse Verbum, & hæc Christi humanitas, sic tamen ut humanitas non sit unita Verbo: ergo illa duo esse inter se unita importat aliquid ultra humanitatem & Verbum.*

Sextò dicendum, *Actiones* Christi meritorias habuisse vim merendi & satisfaciendi in actu primo extensivè infinitam, sive valorem sufficientem ad præmium & satisfactionem infinitam. Ita cum alius Suarez hic *Disp. 1. Sect. 4.* qui docet vim illam infinitam provenire à Sanctitate increata Verbi, quæ cum sit infinita, & humanitati unita, actiones Christi infinitè dignificat. Quantò autem persona est dignior, tantò majus præmium ipsius actioni, & obsequio respondet. Hinc sequitur Christum pro peccatis humani generis non tantum condignè, sed etiam copiosè, & abundè satisfecisse. Et patet ex Apostolo ad Ro-



ad Rom. 5. *Non fecit delictum ita & donum . . . ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia.*

Septimò, quoad causam sive motivum cur debuerit Verbum divinum incarnari; Dicendum, causam principalem fuisse Reparationem generis humani, & Dei gloriam ex ea convenientem. Patet ex Symbolo Nicæno, *Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cælo.* Probabilis est sententia Scoti cum pluribus aliis, Christum venturum etiam Adam non peccasset, sed in carne impassibili, ut etiam in illo statu esset Caput, & causa meriti omnium electorum. Sed communior est opinio D. Thomæ, venturum non fuisse nisi dependentem à peccato. Quia Scripturæ passim insinuant peccatum, & maximè originale, fuisse motivum principale Incarnationis.

Cæterum, cum peccatum mortale, Contra Deum infinite dignitatis, sit aliquo modo malitiæ infinite, pro condigna illius satisfactione necessaria erat Persona dignitatis infinite qualis erat Christus cum esset homo, & simul Deus. Et hinc ulterius sequitur, nullam potuisse dari puram creaturam, quantavís supernaturali gratiâ ornatam, cui possibile foret pro peccatis humani generis ex rigore justitiæ satisficere.

Porò supra Tom. I. Tract. I. cap. 5. demonstratur, quam sit vera Christi Ecclesia in qua salus per eum potest obtineri, ex ipsius Christi promisso infallibili, Ecclesie Romanae antiquitate, unitate, amplitudine, sanctitate doctrinæ, & gloria Miraculorum, qua in Ecclesia Romana, non alibi persistunt.

## §. III.

## Communicatio Idiomatum.

Communicatio hæc Idiomatum est prædicatio reità proprietatum & actionum humanarum Christi de Deo, ac vicissim divinarum de homine. Est certè maximi momenti talium prædicationum notitia in hoc mysterio admodum sublimi, in quo si quis in docendo, aut prædicando propositionem aliquam imperite proferat, summæ inlicitiæ faciliè redarguitur.

Dicendum igitur primò, Communicationem Idiomatum in Christo necessariò admittendam. Quia cum Verbum sit unitum Humanitati, sequitur etiam naturam divinam & humanam unitas esse in Verbo in unitate personæ, uti supra in §. 1. & 2. ostendimus. Unde fit ut de eadem persona duæ naturæ, & earum proprietates in concreto prædicentur. Hinc resultat in Christo duplex idiomatum prædicatio.

II. Ex prima illa duplicis naturæ Communicatione in unica persona, vera est hæc propositio, *Verbum est Deus*, & illa, *Verbum est homo*. Item, quia Verbum est Deus, vera est illa propositio, *Deus est homo*, in qua etiam nomen Deus videatur supponere indeterminatè pro subsistente in natura divina, non tamen verificatur nisi de Verbo.

Illà propositio, *Deus est homo*, differt ab his, *Jesus est homo*, & *Christus est homo*. Quia Deus, Jesus, & Christus significant quidem ibi personam, sed diversimodè, quatenus scilicet Deus significat Verbum ut suppositum naturæ divinæ, Jesus ut suppositum naturæ humanæ, Christus verò ut suppositum utriusque. Unde etiam sequitur primam istarum propositionum esse contingentem, & duas aliasse necessarias.

Vera etiam est hæc propositio, *Deus factus est homo*, non tamen admitti solet illa, *Homo factus est Deus*. Quia vox, *homo*, supponit pro persona, in Christo autem nulla alia est Persona præter Verbum, quod nunquam incepit habere divinitatem, hinc propriè dici non potest, quod homo factus sit Deus.

Altera est Communicatio Idiomatum ex *Proprietatibus* utriusque naturæ divinæ & humanæ. Hinc veræ sunt hæc propositiones, Christus est æternus, & temporalis, & finitus, & infinitus, &c. Nempe ratione diversarum naturarum, scil. divinæ & humanæ.

Dicendum non est simpliciter, *Christum esse creaturam*, sed tantum cum addito, secundum humanitatem.

Dici tamen simpliciter potest, *Christum esse passum, mortuum, ac sepultum*. Quia periculum non est quod de Christo ratione Personæ divinæ propositiones istæ intelligantur.

Dicendum porò, Etiam Prædicata quæ conveniunt naturæ divinæ communicentur cum humana in propositionibus illis in *Concreto* expressis, Non ideo quæ conveniunt Divinæ dici possunt de natura humana in *Abstracto*, aut contra. Unde etiam ob unitatem suppositi subsistentis in natura divina & humana rectè dicatur, Deus est homo, & Homo est Deus: Item certo sensu, *Deus est passibilis, Homo est impassibilis*, Non tamen ideo dici potest, divinitas est humanitas, aut, divinitas est passibilis, aut humanitas est divinitas, aut humanitas est impassibilis.

Errant in his magnopere Lutherani dum docent, proprietates naturæ Divinæ esse formaliter communicatas humanitati, uti dum dicunt, sicut Verbum, ita & Christum esse *ubique*, undè & dicti Ubiquistæ. Sed præter alia absona, inde sequeretur Christum non potuisse ad alium, aliumque locum moveri, cum supponatur esse ubique. Atque ita nec natus fuisset in præsepio, nec suspensus in Cruce, nec fugisset in Ægyptum, nec è terris ascendisset in cælum, &c.

Quædam huc conducentia traduntur hic supra de mysterio Trinitatis §. 1. & 2. pag. 13.

## Hæreses &amp; Errores.

Circa totam Incarnationis materiam declarantur variae Hæreses in hujus Operis Tom. I. Part. II. post Controversiam X. §. 5. 135.

Item supra in Notitia Generali Hæresum Verbo Christus, &c. pag. 148.

Porò, Christum pro omnibus etiam Reprobis mortuum esse & orasse: Item pro omnibus gratiam & auxilia ad salutem sufficientia impetrasse, fufius probatur in eodem Tom. I. Tract. II. pag. 65. §. 2. Et de Gratia sufficienti, Controv. 5. pag. 124.

inde  
kin

theo  
logia

D. IV

D. V

D. VI

D. VII

D. VIII

D. IX

D. X

D. XI

D. XII

D. XIII

D. XIV

D. XV

D. XVI

D. XVII

D. XVIII

D. XIX

D. XX

D. XXI

D. XXII

D. XXIII

D. XXIV

D. XXV